

nobis editis; à Thesi c XLIII. ad c LXIV. Sed cùm breves illi Aphorismi , utut per se satis perspicui , suas semper rationes secum non ferrent , neque rem totam proinde in aperta satis luce collocarent , ideo visum est , cùm in Prælectionibus nostris , tum in hac Dissertatione , quæ Prælectionum hanc in materiam habitarum compendium est , eam pleniùs pertractare , & ad PROTESTANTIUM Concordiam , qui primarius noster scopus est , potissimum referre. Quod an eo modo , qui ad satisfaciendum aptus sit , exsecuti fuerimus , Viris piis & pacis amantibus (nec enim aliorum judicia multùm curamus) expendendum relinquimus.

Cùm autem varia sint Hominum ingenia , & alii quidem rationibus , alii auctoritate magis tangantur , id circò placuit , ex innumeris Testimoniis , inter legendum à nobis notatis , præcipua quædam feligere ; eaque , tum ex *Divinis Scripturis* , quarum auctoritas apud omnes sacrosancta est , tum ex Veteribus Ecclesiæ Patribus , tum ex Reformatoribus nostris , tum ex *Theologis* , aliisque Viris Doctis , seu *Lutheranis* , seu *Reformatis* , imò & *Regibus* quibusdam atque *Principibus* , non minùs sapientia quam purpura conspicuis. Quæ quidem omnia Testimonia , uti dictum est in Epistola ad Illusterrissimum Angliæ Primate , SYNODUM quandam venerabilem admodum conficiunt , iis omnibus expertem defectibus , quibus vulgares Synodi obnoxiae sunt ; cuius proinde definitiones , apud æquos omnes rerum arbitros ,